

1804  
A  
1336



DISPUTATIO VICESIMA QUINTA,  
COLLEGII PVBLCI,

De

SENATVS CON-  
SVLTO VELLEIANO,  
COMPENSATIONIBVS, ET  
RECONVENTIONIBVS.

QVAM

*Diuina afflante Gratia.*

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Celeberrimo Iuridica apud Vbios Facultatis Collegio  
publicè discutiendam proponit*

Ioannes Balthasar ab Hörde aliàs Menghe/ Westph.  
Anno 1629. die 16. Augusti.

25.



COLONIE AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

SEIN VORSTAND  
DER UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

1800  
Johann Baptist von Sauer  
Anno 1800



COLONIA AGRICOLA  
BIBLIOTHECA



## CONTINVATIO.



Eminimus supra de contractibus eorum actum fuisse, qui partim dominicam, partim patriam potestatem venerantur; nunc inordinatum quis non dixerit, ad contractus mulierum potestatem & reuerentiam maritalem agnoscentium descendere *VVes. in parat. n. 1. vt sicut disp. proxima visum est, quomodo detur actio aduersus aliquem ex negotio, quod cum altero gestū erat, sic hic quemadmodum detur actio aduersus alterum, de eo negotio quod non ipse, sed mulier pro eo contraxit, dispiciamus quæ ratio est, cur non malè hic tit. de Scto tantum inscribatur, tametsi & ius Prætorium sibi locum hic vendicet l. 8. §. pen. l. 16. in fin. h. & Hot. in comm. hic Treutl. t. h. 6. lit. A.*

### THESIS PRIMA.

Postquam Edictis Imp. D. Augusti, deinde Claudij mulieribus ieiunè admodum interdictum, ne pro maritis tantū intercederent *l. 2. in pr. ff. hic* Postea plenissimè eis subuentum est §. 1. d. l. 2. M. Silano & Velleio Tutore Consulibus ad Senatum verba facientibus, vt Romæ more obtinuerat Senatus auctoritate sub principibus imminuta, vt ij penes quos summa potestas, dicis tantum causa in Senatu proponerent Orationes de ijs rebus, quas vellent constituere patet ex *l. cum hi. 8. ff. de trans. l. cum hic 32. de don. int. vir. l. sacratissimi pen. ff. ad S. C. Teryl.*

2. Hanc Consulum de mulieribus orationem vt venerabilis & gloriosissimus cœtus *l. 3. §. 8. C. de ll. approbaret, mouit. I. leuitas, inconstantia & infirmitas sexus d. l. §. 2. cum plerumque contra propria commoda mulieres laborent Dec. ad R. 2. de R. I. n. 93. & facilè aliorum blanditijs ad suspiciendum sponsonis onus illiciti possint VVes. hic n. 2. quippe spondere initio leue videtur, cum sola voluntas nulla autem pecunia præstatio requiratur, vt ita non difficulter ad id velut & ad bonorum oppignorationem *prin. inst. quib. alien. lic. infirmus mulieris animus adduceretur, sed tandem noxa præ-**

sto est, si enim fideiusseris, cogita tibi dissoluendum esse *Eccl. cap. 8. vide VVef. cit. loc.*

3. Secundò Videbat amplissimus ordo, intercedere virile esse officium *l. 2. de R. I. & ibi Dec. n. 14.* sed moribus ciuilia officia foeminis adempta, tanquam pudori & verecundiæ earum non congruentia *l. 1. §. 1. hic ff. l. 3. C. eod. Cagnoi. ad l. 2. de R. I. n. 6. VVef. hic n. 2.* sic alienam suscipere defensionem, quia virile est & ultra sexum muliebrem esse constat *l. 8. C. de proc. ne turbato naturali ordine viri ab vxoribus defendantur contra §. par. tur. inst. de iur. et si termini si transiliantur sit absurda rei aliene permixtio arg. d. §. quare iudicio maturo Patrum confessus mulieres ab intercessione quanis repellit maximè cum per eam non tantum operæ & ministerij sed etiam rei familiaris iactura consequatur *d. l. §. 1. Treut. th. 1.**

4. Est autem intercedere h. t. seu interuenire pro alio se ream facere vel fidem suam interponendo, vel rem suam oppignorando, vel si maius intercedere est quoquo modo pro alio se obligare *arg. l. 2. §. 4. hic & ibi Gothofr. lit. N. inf. th. 10. & seqq.*

5. Dixi pro alio, nam quæ mulier proprium suum negotium gerit, illa obligationem non recipit; sed facit, *l. 8. §. si mulier. in fin. & omnibus ferè ex causis æquè vt vir obligatur l. 13. in princ. l. si domina. 22. in fin. l. bona fide. 27. §. 5. in fin. l. 2. C. eod. Treut. l. lit. D. th. 1. VVef. hic n. 6.* itaque rectè mulieri suum negotium gerenti mutuum datur *l. 12. ff. h. t. sic cum mulier indemnitate pro tutoribus filiorum suorum promittit suum quodammodo negotium gerit l. 6. si mater. Cod. eod.*

6. Licet colligere quod intercessio muliebris pro alio, nihil aliud sit quam obligatio quoquo modo pro alio suscepta, vt ita intercessiois verbo omnis obligatio intelligatur *Gothofr. loc. cit.* ex quocunq; contractu descendat: omnis enim contractus hoc Scto cõprehenditur *d. §. omni. 3.* siue re siue verbis siue quocunq; modo alienam in se suscipiant debitionem *l. 2. §. fin. l. 8. h. t. l. 19. VVef. n. 5.* formulam intercedendi *vid. l. 12. §. 13. si quis. hoc amplius ibi periculo meo crede bene credis ff. mand.*

7. Intercessio hæc duplex vel enim in veteri vel in noua obligatione interponitur vtriusque exempla in sæpius allegata *l. 2. §. 1. extant.* nam fideiussio est obligatio aliena vetus mutui datio noua *Cuiac. tractat. 4. ad Afric. 19. hic.* nec opus est cum *Hor. 1. obser. 15. in fin. d. l.* textum emendando pro mutui datione substituere *mutuationem.* nam rectè *Cuiac. d. tract. ad l. 17. ad Vellei.* sic accipit mutui dationes. id est, cum mulier alij datura, vel ab eo qui alij daturus erat mutuum accepit. placet etiam quod particula *mutui dationis* referri possit ad creditorem fideiussiois ad mulierem eodem sensu dicitur ciuitatem obligari mutui datione id est? si actor ciuitatis à Creditore mutuum acceperit *l. ciuitas. 27. de reb. cred. ff. Diff. Hor. loc. cit.* propter continuationem sermonis.

8. Porro in veteri obligatione duobus modis intercessio interponitur.

I. par.



I. participando. II. transferendo *l. Senatus. C. h. t.* Participando mulier intercedit cum ad pristinam obligationē quā in alterius personā confiterat accedit, veluti fideiubendo, fidem suam pro eo qui quid contraxit interponendo *l. 3. C. hic.* vnde fideiussiones nullius momenti esse dicuntur *l. qui satisdare. 3. l. si Titius & seia 48. ff. de fidei. in princ.* item mandando vt alicui pecunia credatur *l. 6. l. 7 ad SC. Vell. ff.* item constituendo pro alio *l. 1. § 1. ff. de constit. pec.* item res suas pro alio oppignorando *l. 1. in princ. ff. h. t. l. mulier 11. C. de distr. pign.* item alieno nomine compromittendo in arbitrium *l. 3. § 2. ff. de Rec. arb.* item iniure ad interrogatum intercedendi animo falsum per errorem respondendo *l. 23. l. 26. ff. hic* item promittendo tutori indemnitatē pro filio im̄ ubere vel filio pro tutore *l. 6. C. h. t. l. 1. & vlt. C. si mul. indemn. prom.*

9. Veterem verò obligationem mulier intercedendo in se transfert, cum per nouationem in se transfundit vide *l. 8. & ibi Gothofr. lit. A.* veluti si pro debitore expromittat. hoc est pro debitore nouandi animo promittat *l. 2. ff. h. t. l. 8. §. si conuererit 8. h. t.* item si in iudicio aliquē defendat *l. 2. §. fin. eod. ff. h. t. l. 8. §. si conuererit 8. h. t.* item si in iudicio aliquē defendat *l. 2. §. fin. eod. ff. h. t. l. 8. §. si conuererit 8. h. t.*

10. Nouam obligationem mulier intercedendo in se suscipit, quam alius erat subiturus nisi ipsa interuenisset *vd. Treutl. th. 1. in fin. de SC. Vellei. Goth. ad l. 2. eod. lit. A. & D. l. 8. lit. A.* vel quando ex ipsius persona incipit vel in eam principaliter incumbit *l. 8. §. 2. l. 17. ff. h. t. l. 9. C. d. t.* velut mutui datione *l. 2. §. 1.* promittendo similiter in omnibus contractibus veluti locatione, aut venditione, si qui alteri vendit aut locat personam mulieris vt idoneam sequitur, nouam obligationem suscipere mulier in se intelligitur *l. si aduersarius 10. C. h. t. Hot. in comm. hic.*

11. In vtroque genere intercessionis mulier succurritur *arg. l. 1. §. 4. vel data exceptione l. 6. 7. ff. h. t. l. 3. l. 8. l. 19. C. h. t.* eaque & heredes mulieris vti possunt, & fideiussores *l. 20. l. 10. C. hic.* vel replicatione *l. vir. & vx. §. 1. ff. h. t. l. vlt. §. item si 2. ff. 20 d.* in qua si mulier pro tertio quodam intercedens fundum vendit non tantum aduersus eum cum quo immediatē contraxit, sed & cum eo, cum quo mediate contraxit, agit. Emptor si opponat exceptionem emptionis mulier replicat, nec obstat. *l. 4. C. cod. resp. Goth. in d. l. vlt. ibi mulier sollicitauit, hic sollicitata fuit.*

12. Vel conditione vt si quid praestiterit, soluerit, delegarit *l. qui exceptionem 40. ff. de cond. ind. l. 31 ff. l. 9. C. ad SC. Vell.* & condicit mulier vnā cum fructibus, quia ne naturaliter mulier in effectu obligatur *d. l. 40.* quia scilicet improbara est obligatio mulieris *l. 16. ff. l. 9. C. vid. Treutl. disp. 22. th. 4. in fin. de cond. expromut.*

13. Denique & ipso iure iuuantur ex constitutionibus nouis *l. 23. C. hic.* in qua non est nouus modus succurrendi mulieribus ex SC. V. prater ius verus quando ex illo mulieribus non est subuentum per exceptionem *l. 2. ff. h. t. hęc lex 23. dat replicatione exceptionem l. si non obseruetur forma renunciationis. II. si vxor pro mutuo quod marito datum est se obligauit: v-*

troque enim casu nulla est obligatio hodie Confer. *Trentl. th. 2. lit. B. ibid. vid. Dissent.*

14. Sed prædictæ thesi obstat, cùm per Sctum neque actio neque petitio dari permittatur: quomodo si non detur actio exceptio non loci erit? nam *Pomponius* scribit totum Sctum sermonem ad petitionem contra mulieres nondandam pertinere *l. ult. §. si mulier ff. h. t. Conf. arg. l. 16. in fin. l. 8. §. si conuenerit. & §. si mul. eri. ff. de Scto. Vell. l. quamuis Cod. e. d. l. 3. ff. de re iud. Respondet. Hoto. idem hic statuendum est quod in Macedoniano itemque in Edicto de iureiur. *l. 9. ff. de iureiur. vt fici ad quem ius aditum est appareat non mulieris, sed alienum negotium gestum fuisse actionem deneget, si non appareat, actionem quidem concedat, sed cum hac exceptione extra quã si mulier alienum negotium gesserit l. 11. ad Sctum. Maced. l. 22. ff. hic.**

15. Sic multis casibus mulieri quæ intercessionem pretendit non succurrendum, ideòque cognitione iudicis opus est *vid. l. 9. de iurei.* II Senatus autoritas tanta non est vt actionem tollere possit iure ciuili inductam, sed propter honorẽ Senatus actio ipso iure inanis redditur, sic bonorum possessor habetur hæres, quamuis hæres non sit *inst. de bon. poss. in pr. v. quos a. VVes. in fin. de bon. poss. obit. l. 24. §. 1. ff. h. t. Respond. Hoto.* particula statim non auferit cognitionem, sed refertur ad tempus post solutionem secutum.

16. Eatenus tamen succurrendum foeminae, si videlicet creditor callidè sciat eam pro alio intercedere, secus si ignorauerit, quia probabilis hic facti alieni potest esse ignorantia, & nemo aliàs cum foeminis contrahet quia ignoratur quid acturæ sint, *l. 11. l. 4. l. tutor. §. cum haberes ff. hic. l. 19. l. si aduersarius 10. C.* Nec enim qui credit mulieri eidem vt intercedenti credit, cum possit tanquam principali creditori credere, *l. 2. C. l. 13 ff. de S. V. & ibi Gothof. lit. C.* hinc est si nominatim sibi accipiat mutuum, quamuis alteri tacitè & pecunia in alterius vsu conuertatur mulier obligatur *d. ll.* simile obtinet in minoribus quibus duas ob. causas tantum subuenitur. I. si interuenerit circumscriptio. II Manifesta negligentia *l. 24. ff. de min.* ne scilicet eis commercio interdicitur *vide. Cuiac. ad d. l. 24.* nec obstat rationi similitudinis quod ætas ignorari potest, sexus non potest, eò vsque enim comparamus vt sicut non semper succurritur minoribus *d. l. ita* nec foeminis, & sicut qui ignorauit foeminam intercedere replicatione iuuatur itidem qui ignorauit minorem esse *Bach. ad Trentl. th. 2. h. t.*

17. Ex proxima thesi efficitur, quod frustra mulier expectet auxilium, si in rem utilitatẽque suam non fictè vt supra sese obliget negotiumque suum gerat, vt si pro eo spondeat cui est obnoxia *l. aliquando 13. l. si mulier. 16. ff. h. t.* aut si ipsa sibi emat, permutet, mutuum accipiat. *VVes. hic. n. 6.*

18. Negotium autem suum tum gessisse intelligitur quoties in rem mulieris versum est, aut si pecuniam pro intercessione accepit, de quo infra Iacius *l. 3. l. 13. l. 21. & seq. h. ad eò* vbi patris periclitantis causa intercesserit suum negotium quoque fecisse videatur *d. l. 21.* ac multò magis si filia dotem constituerit *Hot. in com. hic. de hac inf.* 19. Quod



19. Quid autem statuendum quando periclitanti marito succurrit, ut si pro marito quo cum carcere custodiae publica redimeret, res suas obligavit an Scto utatur? Nego quamvis causerit se intercessisse, vel in patris potestate fuisse *arg. l. sed et si 71. sol. mar. arg. l. 36. in princ. si quis pro redempt. C. de sac. Eccl. Goth. of. ad l. 4. C. hic lit H.*

20. Labet hic subnectere quaestionem an consuetudo vel statutum valeat, ut etiam pro marito extra casus lucuosos mulier teneatur *Affirm. Bart. in tract. repr. Q. 1. n. 7. lason. in §. actionum n. 79. inst. de ad. vid. Nou. 13. c. 8. vbi mulier pro marito nullo modo obligari potest. ut si saepius confirmet intercessionem limitat Goth. dict. loc. l. nisi pecunia in rem eius propria manifeste probetur *auth si qua mulier. C. ad SC. Vell.* quod tamen fallere *aut. in d. auth.* in locis in quibus mulier communionem bonorum cum marito suo habet: tum enim si quid vxor cum marito acceperit praesumitur in rem suam vertisse, vel vertere debuisse. Secundo *in d. Nou.* limitat nisi consuetudo vel statutum in contrarium sit. Adde *Gail. 2. obs. 90. n. 1. & 5.* vbi refert in communi nostra patria receptum esse ut vxores mercatorum die mit ihren Männern Wirte oder Gasthoff halten. tanquam sociae pro maritis teneantur.*

21. Porro ne sit inutile mulieribus hoc auxilium extenditur hoc ad fideiussores, frustra enim daretur alias principalis exceptio propter regressum fideiussorum per actionem mandati *l. 74. d. cond. indeb.* competit igitur haec exceptio in iuris mulieribus *l. 19. ff. de except. l. 1. & 32. ff. de fidei.* melius enim illis est soluere, quam solutum repetere nec ius fideiussoribus. quaesitum adimi potest pignus quoque uti fideiussor ab obligatione eximitur *Cofal. ad l. 14. h.* Imo licet fideiussor aduersus eam mandati actionem non habeat, nam obligatio tota fit irrita *d. l. 16. §. fin. & creditor restituitur in primum debitorem sup. D. ll. Gothofr. ad l. 14. lit. B.* nec obstat *l. 13. ff. de minoribus. nec l. 7. §. 1. ff. de excep.* Aliud enim est de minoribus qui tantum eximuntur ab obligatione *l. 43. ff. de solut.* sed haec liberat in totum *d. l. 40. ff. de conduct. indeb. d. l. 16. in fin.* alteram differentiam vid. *in th. 16.* alias differentias conficius ipse excutiet.

22. Denique mulierem Sctum tuetur, etsi pater ei consentiat, quia solus fauor mulieris hic versatur, ergo patris consensus beneficium hoc non adimit, sexus enim per consensum patris non remouetur. *vid. Cofal. ad pr. h. r.* vnde differentiam inter hoc Sctum & Macedonianum colligimus, quia id non tam filiorum fauore quam odio foeneratorum introductum, quod odium patre consentiente cessat *l. 9. §. 4. ff. ad Maced. Hor. hic in comm. hic cit. a fin. l. 12. ad Sct. Maced.* item Maced. in sola pecunia numerata locum habet *l. 7. §. mutui ad Sct. Maced.* Velleianum in contractibus *l. 2. §. omnis. ff. hic.* imo mulier ne naturaliter obligatur *d. l. 40. aliud in Maced. l. quia 10. ad Maced.*

23. Restat nunc ut paucis agamus de casibus quibus locus Scto non est quorum sex potissimum enumerantur. I. est fauor libertatis *l. pen. C. h. r. l. dotis l. vlt. C. hic.* III. si decipiat *l. 5. C. h. r. in fin.* IV. si pretium capiat *l. 23. C. d. s.*

d. t. V. si secundo caueat l. 22. eod. VI. si renuntiet l. vlt. ff. h. qui casus hifce ver-  
sibus sic includi solent.

*Casus in senis mulier spondendo renetur  
Pro libertate, pro dote renunciet, et si  
Decipiat, pretium capiat, caueat q<sup>3</sup> secundo.*

Addit 4. casus *Nicolaus de Matereli.*

*Debenti si succedat, si debita capiat,  
Si minor est credens, si propria commoda gessit.*

Donanti quoque mulieri non subuenitur vt infr.

24. I. Quod artinet ad libertatem ratio eius est, quia res est fauore dig-  
nissima, rebus omnibus anteponenda l. 22. l. 176. de R. I. l. 16. ff. de manum. test.  
l. 38. ff. de re. iud.

25. II. Fauor etiam dotis non exiguus cuius gratia multa contra regu-  
las iuris inducta l. fin. C. de Scto V. numeratur inter causas pias l. cum is §. si in  
ea ff. de cond. indeb. vnde & hic Sctum cessat si dotem extraneæ personæ pro-  
misit: de dote enim filia promissa non est dubium. arg. l. 34. ff. de N. G. arg. l.  
12. C. hic. Treutl. th. 4. hic. Bach. ibid. lit. B. et si alias de necessitate mater filiam  
dotare non cogatur nisi I. pater extremè sit inops. II. si mater hæretica; filia  
Christiana arg. l. 19. C. de her. de quo vid. Treutl. p. 2. dist. 7. th. 3. lit. B. ratio  
etiam huius thesis redditur in d. l. fin. ne mulier reddatur indotata & à ma-  
rito repellatur (quod tamen hodie est illicitum) l. 11. §. 1. inf. de repud. Nou. 22  
cap. 18. Socin. reg. 258.

26. Alia ratio reddi potest, quæ & hodie durat, ne scilicet à marito tan-  
quam vxor indotata contemnatur *Gail. lib. 2. obs. 95. n. 13. Dd. in l. si ita stipulatus  
fuero. §. si tibi insupsero. ff. de V. O. maximè cum exulcerato & auarissimo hoc  
tempore plerumque a seculo fieri, vt non sufficiat viris, mulieres personam  
tantum suam in dotem contulisse vid. Gail. d. obs. cit. loc. & obs. 87. n. 1. cum  
potior causa sit pecuniæ, & vbicunq; locorum tanquam Regina imperet:*

*Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.* vt inquit *Horat.*

Imò hodie præ pecunia postputantur pudicitia, pudor & sedatus Cupido,  
Deum metus, parentum amor, & cognatum concordia, quæ tamen veræ do-  
tis nomen merentur vt *Placit. eleganter in Amphy facit l. pronuntiatum 46. §.  
matremf. de V. S. sed pro dolor vt nunc sunt mores, adeo res redit vt in con-  
trahendis matrimonijs, vt inquit Iuuenal.*

*Protinus ad censum de moribus vltima fiat.*

Quæstio *Et possidentem multa, vocaueris*

*Rectè beatum.*

inquit *Horat.*

27. III. Ob dolum amittitur priuilegium, decipientibus enim mulieri-  
bus Sctum auxilio non est d. l. 2. §. 1. neque cõvsque defenduntur vt facilius  
calumniantur l. si decipiendi 30. ff. h. l. 5. C. eod. Gloss. ponendo exempl. dicit.  
I. vt quando vestes viriles induit, tum putabat Creditor eam teneri. II. Ti-  
tius tenebatur mihi in roo. decessit hærede relicto, volo conuenire heredem  
mu-

mulier interrogata an esset hæres, respondit affirmatiuè animo decipiendi & non iunatur vel si alio fado mulier se virum mentita fuerit inlar minoris qui ad decipiendum se maiorem finxit *l. 23. C. si minor se mai.*

28. Donantem mulierem quoque SCTum non eximit *l. 4. l. 3. § 5. ff. h. t. l. 1. C. 4. C. eod.* sic soluenti pro alio non succurritur, nam qui soluit non intercedit, hoc est aliam obligationem in se non suscipit sed aut donat, aut alium sibi obligat: ratio th. est in *d. l. 4. ff. hic.* quia facilius fœmina se obligat quàm donat, cum naturâ fœminæ sint tenaces *l. fistipulata 33. § 1. ibi inò incongruens est, C. contra sexus naturam:* huius qualitatis respectu rectè dicit Poëta:

*A fœminâ nil fœmina vsquam discrepat*

ided ea, quæ facilius fiunt eò diligentius à SCTo tollenda fuerunt, & pronis promiscuis deceptionibus occurrendum magis fuit, quàm raris vel rarò cõtingentibus *l. 3. C. seqq. ff. de ll.*

29. IV De pretio accepto textus est in *l. 23. C. hic facit l. 2. §. 3. l. 19. §. vlt. ff. hic. vbi Cuiac. tr. 4. ad Afr. de Vell. Sich. ad rubr. C. n. 18.* de quantitate pretij variè sentiunt *Dd. Cynus* dicit quod pretium debeat esse equale cum ea summa pro qua intercedit, quæ sententia nititur quadam æquitate. *Salic.* perinde esse quantulumcunque sit pretium quia in contumeliam sui privilegij vel legis videtur aliqua accipere, & sic privilegio suo renunciare, sed qui legem aliquam oppugnat suo facto, non potest eiusdem auxilium deinde implorare *l. auxilium ff. de minoribus,* quæ sententia dura. Tertia est Baldi qui dicit arbitrio iudicis esse relinquendum, vt & alijs casibus vbi non est certus locus, tempus, modus definitus *l. si quis ita §. Seia ff. de V. O.* iudex autè tum æstimabit an diligens paterfamilias pro eo pretio quantum versatur in controuersia, in eam intercessionem venisset & pro eo statuet vel teneri vel iuari mulierem *Sich.* hæc vt tutior amplectenda est.

30. V. De secunda intercessione post biennium pro extraneo (nam mulier pro marito vel sæpius intercedens non obligatur. *auth. si qua mulier. C. & Nor. 134. cap. 8.*) loquitur lex 22. *Cod. hic.* nam nulla amplius post biennium præsumptæ fragilitatis, & sibi imputet mulier quod sæpius cogitare poterat, & euitare, non fecit: videtur enim ex huiusmodi temporis prolixitate, non pro aliena causa se obligare, sed pro sua aliquid agere, quæ præsumpti iuris est, & de iure contra quam non admittitur exceptio *l. vlt. supr. ad Maced. l. 15. §. 3. de re iud. Gothof. ad d. l. 22.*

31. Agendum ex ordine proposito foret, sed lubet prius casus *Nicolai de Materell.* expedire sin igitur ei pro quo intercessit hæres existat cessat SCTû. *l. quamuis §. planè 13. ff. h. t. l. Stichum. 95. §. 2. in fin. ff. de solut.*

32. Hinc fuit quæstio an fideiussoria obligatio, si fideiussor debitori hæres existat non tollatur? Affirm. I. quia actio est confusa. II. Accessoria obligatio, extinguitur, principalis manet, adeo vt tanquam fideiussor conueniri non possit. *l. 5. ff. de fidei. C. ibi Dd. l. 24. C. eod. l. 13. ff. de duob. reu. l. 93. in princ. ff. de solut.* perinde vt si debitor creditori hæres existat.

B

l. 21.

*l. 21. §. 3 l. 50. l. 71. ff. de fidei.* Ratio. Quando occurrunt duæ qualitates incomparabiles in aliquo actu, potentior infirmiori præualeat. *l. qui habet. ff. de tutel. l. fundo. legato. ff. ad L. Falcid.* aduenienti fortiori infirmior cedere cogitur, potior autem hic est principalis, quam accessoria. *d. l. 5. ff. de fidei.* si modo utraque obligatio firma sit, vel saltem principalis. Fallit I. si principalis obligatio arguatur inualida. *d. l. 21. §. 3.* II. Si naturali obligationi tantum fideiussor adhibitus fuerit. III. Si ex bonis debitoris, cui successit fideiussor suum consequi non possit. *Bart. in d. l. 5.* IV. Si super fideiussoria obligatione lis sit contestata. *l. 14. ff. de his qui not. inf.* V. Limitatio est *in d. l. 3. ff. de sep. ar.* ubi quidem eo ipso quod reus fideiussori hæres extiterat, obligatio fideiussionis extincta fuit, sed quia fideiussoris obligatio eo in casu plenior fuit, quam rei, ideo reus tanquam hæres & fideiussor tenetur, non obstat. *l. 8. §. 13. ff. h. t.*

33. Tres casus posteriores ex *N. de Mat.* recensiti quia tum ex *Dd.* tum aliàs facillè intelligi possunt, nunc ad sextum modum (Renunciationis scilicet) mutui *Dd.* digladiationibus nobilitatum nos recipiamus. Agnoscimus igitur tam extraiudicalem, quam iudicalem, tam voluntariam, quam necessariam, uti *Dd.* vocant, ut si mulier tutelæ munus sit subitura, cum sit munus publicum. *Inst. de excus. tut. in pr.* ex necessitate cauere, & renunciare cogitur. Probatur nostra sententia I. *arg. l. pen. C. de pact. l. 40. ff. de cond. ind.* ubi hoc *SCtum* eatenus Macedoniano opponitur, quatenus illud in odium feneratorum, hoc in fauorem mulierum introductum, hinc mulierem suo beneficio renunciare posse consequitur. II. *ex l. vlt. §. vlt. ad SCtum. Vellei.* quæ 'ex non loquitur de iudiciali, sed extraiudiciali Renunciatione, cum aperte agatur de cautione facta antequam iudicium constituatur, quod facillè verba *d. l. 1.* (& sic ad iudicem ire) ponderanti apparebit.

#### DE COMPENSATIONIBVS.

34. Compensatio, ut inquit *ICr. t. 1. ff. h. t.* Est debiti, & crediti inter se contributio. Vel est debiti ad debitum inuicem in vim solutionis ad concurrentem quantitatem inter se contributio. *Myns. §. in bona fidei. l. de act. num. 13.*

35. Quibus rationibus introducta, patet I. *ex l. 3. ff. de comp.* II. *ex l. properandum. C. de Iudicij; & l. 51. ff. de pecul.* Tertia ratio est, quod potius sit non fieri per plura, quæ per pauciora nem suum assequantur. *Tynd. tract. de comp. art. 2. adde c. dolo. de R. I. in 6.*

36. Compensatio ex rebus omnibus non inducitur. *l. 2. §. 1. ff. de R. C. prin. l. quib. mod. re cont. obl.* sed ex rebus quæ pondere, numero & mensura consistunt, functionemq; in suo genere recipiunt. *d. l. 2. §. 1.* ob similitudinem quam habet cum solutione. Soluit enim qui compensat, *n. 4. ff. qui pot. in pig.* At in solutionibus aliud pro alio inuito creditore solui non potest. *l. 21. §. 1. de const. pec. Myns. d. §. n. 21.*

Vnde specie pro specie, specie pro quantitate, vel è contra non fit  
com-

compensatio quod in quantitibus fecus est, idem enim hic quodammodo videtur esse solutum. *d. l. & d. §. Tynd. tract. de comp. art. 3. n. 4.*

38. Si tamen species sit premissa, ex quo debetur eius æstimatio, poterit, speciei ad hanc quantitatem fieri compensatio. *l. 8. C. de comp. faut. l. neq. 6. C. eod. Tynd. d. tr. art. 3. Sebast. Med. tr. de comp. p. 1. q. 3. n. 6.*

39. Generis etiam ad Genus fit compensatio, si genus sit eiusdem qualitatis, fecus si diuersa. *Sebast. Med. d. tr. p. 1. q. 2. vid. l. 1. §. 4. ff. si pars hered. pet. l. qui non. ff. de hered. inst.* vel res debita sit non diuersi generis. *Tynd. art. 3. num. 6.* nam quedam quoque in eiusmodi generibus propter omnimodam ex utroque latere conformitatem est functio. *Seb. Med. d. tr. p. 1. q. 2. Tynd. cit. loc.*

40. Ut ita non mouear autoritate eorum qui in omnibus generibus debiti compensationem admittunt, dum tamen totum, ad præcuniam redigatur *ob. d. l. 21. ff. de const. pec. d. l. 2. de R. C.* tum quia alias quælibet species posset deduci in compensationem. *Tynd. art. 3. n. 7.*

41. Non obstat I. quod fructus percepti extenuent, sicq; species cum quantitate confundatur. *l. 1. & 2. C. de pig. act. l. 1. C. de distr. pig.* verum enim id est ubi fructus consumpti sunt, sed si extarent & tunc cessaret hæc contributio. Nec II. obstat, quod quotidie argentum pro auro, vel æs pro argento compensemus, id enim secundum consuetudinem tantum sustinetur, *Tynd. d. a. 1. n. 8.*

42. Quantitas in specie debita cum quantitate eiusdem generis, vel materiae compensari nequit, si species extet. *arg. d. l. 21.* tum quia hoc casu in specie potest esse affectio. *Sebast. Med. d. tr. p. 1. q. 3. n. 3. VVes. in par. n. 6.*

43. Aliud est si non extaret, quod tamen eatenus procedit, quatenus is qui querit compensationem, in casu consumptionum non ex sua dispositione vel alterius teneatur, nam tum potius subrogat, quam compensat. *Tynd. cit. art.*

44. Simile est quod quantitas ad speciem redacta, & in obligationem deducta, omnino debeatur si extet. *ob. d. l. 21. & l. 4. §. ait prator. ff. de re iud.* quod si consumpta est dispositio testatoris, vel contrahentium in casum consumptionis est attendenda. *arg. l. 1. §. 6. ff. de pos. si talis dispositio celebrat, non est.* in quibus casibus tum periculum emptionis spectat ad debitorem, tenetur ipse debitor, & ad interesse, *l. 25. & 29. ff. dep. Tynd. art. 3. n. 15.*

45. Si ex vno latere debeatur quantitas simpliciter ex altero latere quantitas, vel species alternatiue, inuito eo ad quem spectat electio, non potest fieri compensatio. *Seb. Med. d. tr. p. 1. q. 5.* quid enim si eligeret dare speciem? quæ aliena est *d. comp. l. 18. in gr. ff. de pign. act. Tynd. art. 3. n. 18.*

46. Porro naturalis tantum obligatio in compensationem etiam deducitur, *l. 6. ff. h. r.* nec obstat *l. 14. eod.* quam Gothofr. de premissoria exceptione intelligit *d. l. 6.* veluti si res iudicata; & licet naturalis tum obligatio remaneat, *l. Iulianus. ff. de cond. indeb.* inefficax tamen est, & punitur propter rei iudicatæ autoritatem. *Tynd. art. 4. n. 23.* facit *l. cum queritur de except. re iud. & l. 2. C. h. r.* à contrario sensu,

47. Succedit ciuili tantum obligatio. cuius exemp. in l. in contract. C. de non num. pec. sed huic in materia compensat. locum non damus. fundamentum enim super quo firmet pedem ei abest. Bald. in l. fin. C. hic. Tynd. Mys. d. §. n. 14. d. art. num. 24.

48. Si vero naturalis cum ciuili obligatione iuncta, actionem tamen non pariat, vt cum petitur ante diei euentum, quando dies nondum venit, l. 213. de V. S. compensatio non admittitur l. 7. ff. h. t. quod verum est in die conuentionali obligationi præfixo. Seb. Med. q. 8. p. 1. n. 3 in ea autem die quæ miserationis gratia ad iudicati executionem conceditur, fieri potest compensatio l. 1. ff. h. t. Tynd. art. 4. n. 24. Seb. Med. d. q. n. 4.

49. An debitum certo loco, habitâ ratione interesse, compensari vbique possit? Affirmat l. pecuniam 15. ff. hic. vt ita in compensationem deducatur, nedum id, quod principaliter debetur, sed etiam ipsum interesse. Tynd. d. n. 24. Seb. Med. q. 7. p. 1. An etiam temporis habeatur ratio? si simpliciter fiat ad quantitatem Compensatio Temporis? Nego, esset enim vsurarum species. vid. Seb. Med. q. 8. p. 1. d. tr. ad l. 17. de pact. d. t.

50. Etiam id venit, quo nomine cum actore lis est contestata, ne diligentior quisque deterioris conditionis habeatur, si compensatio ei denegetur. l. 18. ff. h. t. facit l. 29. ff. de nouat. l. 86. de R. 1. de eo quoque potest obijci compensatio quod non debetur iure actioni, sed officio Iudicis. l. si ambo. §. fin. ff. hic. Seb. ff. Med. q. 7. p. 1. n. 2. d. tr.

51. Alia quæstio est: An filiosam. mutuum accipienti contra SC. Macedon. compensatio obijci possit? Nego. tamen si naturalis obligatio adfit. per l. quacunq. ff. h. t. 1. & l. 1. ad Maced. nec mirum, quod à filiosam. solum repeti nequeat l. 9. §. fin. ad SCtum. Maced. cum non ab simile ponat Paul. in l. 10. ff. de cond. Ind. Tynd. art. 4. n. 26.

52. Nec durante tutela potest fieri inter tutorem & pupillum contributio arg. d. l. quacunq. 14. in princ. de tutel. & r. d. distr. hic est casus, vbi oritur actio ciuiliſ & naturalis, & non actio, & tamen non potest obijci ex ea obligatione, compensatio. vide Tynd. n. 26. d. ar. Seb. Med. d. tr. p. 1. q. 14.

53. Vidimus quid sit compensatio; cur sit edita, III. ex quibus rebus conficiatur. IV. ex quibus obligationibus vel debiti videamus nunc; in quibus casibus locum habeat. quibus item locus non fit.

54. Compensationi locus est tam in contractibus quam vltimis voluntatibus C. l. etiã h. t. Tynd. d. tr. art. V. n. 29. Seb. Med. q. 16. p. 1. tam in causis fiscalibus quam priuatorum C. de somp. l. in ea Seb. Med. d. tr. p. 1. q. 38. n. 1. item in causis maiorum & pupillaribus l. fitutores d. t. Tynd. cit. loc. item in causis in quibus delictum negligentia vel culpa poscitur d. ar. n. 30. Seb. Med. d. tr. p. 1. q. 34. & seqq. Dyn. cap. in par. vid. l. si ambo ff. h. t. l. si dolo. ff. sol. mat. in fin. VVef. h. t. n. 4.

55. Locum non habet compensatio vbi agitur de fauore Reip. recenset Imperator casus, in l. in ea. C. h. t. adde l. pen. C. eod. Item in causis fiscalibus

sem-

semper rejicitur ubi debitum processit ex diuersa statione. *d. t. C. l. i. item in causa quæ agitur ob negotium copiarum expeditionis tempore mandatum. l. ob negotium. ff. d. t. Tynd. art. 5. n. 32. Seb. Med. p. 1. d. tr. q. 38. Myns. inst. in bonæ fidei in fin.*

56. Præterea repugnat priuilegio depositi vt compensationem admittat *l. fin. C. d. t. & l. pen. C. de pos. quæ prærogaturâ commodato non competit. l. 18. §. fin. ff. commod. & ibi Cost. gloss. in l. fin. C. commod.*

57. Compensatione non vititur inuasor, res enim omnino ante omnia sine cunctatione restituenda. *l. fin. c. in fin. de comp. facit l. fin. C. vnde vi. in pari tamen causa vtriusque admittitur, vt si vterque ad quantitatem teneatur ob spoliationem. Tynd. art. 5. n. 16. Seb. Med. p. 2. q. 18. fin. tr.*

58. Compensationem etiam respuunt causæ Decimarum cum sint tributa Deo debita, *Pap. de dec. c. tua. quæ non minori priuilegio digna sunt quam ea quæ Reipub. vel fisco debeantur. Tynd. art. 5. n. 33.*

59. An autem dos compensationem recipiat? non pauci id negant, affirmantium verò sententia validioribus rationibus niti videtur. *l. rei iud. cata. 15. §. 1. l. si cum dotem 22. §. si pater l. si constante 24. §. si vxor. l. in his 66. §. 1. sol. matr. l. Titia. 48. ff. de sol. l. 1. §. taceat C. de rei vxor. ait. l. quod dicitur 6. de Imp. in rem dot. fact. l. 1. eq. 6. C. h. t.*

60. His positis alia Quæstio est, an pater filiæ legans dotem iam ei vel Genero promissam compensandi animo legare videatur: & cum in necessitatibus nemo liberalis præsumatur patrem compensandi animo legasse non dubito *l. huiusmodi 86. §. cum pater & ibi Bart. l. si cum dotem 23. §. si pater ff. solut. matrim.*

61. Nec compensatio admittitur eius, quod non ei qui conuenitur, sed alij debetur, repugnat enim definitio *d. l. 1. l. eius. C. de compens. Seb. Med. q. 1. p. 1. Tynd. art. 7. sui tr. in pr. Myn. in d. §. in bona fidei.*

62. Porro non obijcitur compensatio si nullo modo debitum liquidum est, neq; de proximo liquidandum *Dd. in l. fin. C. de comp. Seb. Med. q. 13. p. 1. Myns. in d. §. Soc. tr. fall. reg. 86. aliàs enim non seruaretur æqualitas. Qua ratione nec suspensum obijcitur puro debito VVef. n. 7. in fin.*

63. Liquidum creditum intelligitur quando constat per Instrumentum per sententiam, vel per alias probationes similes *Sebast. Med. d. q. 13. n. 4.*

64. Quantum verò tempus liquidandi requiratur, verius existimauerim, cum certum non reperiatur tempus in iure definitum, illud Iudicis arbitrio relinquendum *l. fin. vers. hoc itaq; C. h. t. item per regulam l. 1. in fin. ff. de iur. delib. Menoch. de arbit. iud. quæst. C. 1. lib. 2. cas. 14. Med. d. q. 13. n. 3.*

65. Neque in publicis iudicijs, ubi non ius priuatorum spectatur, sed publica vindicta admittitur compensatio *l. 1. §. qui hoc dicit l. si vxor. 13. de adult. VVef. n. 5. rationem ponit Tynd. art. 5. n. 35. quod compensare fit soluere supr. ad. ll. solutio autem non possit alteri fieri quam ipsi Creditori, vel eius mandatario: Creditor autem hoc casu est Fiscus, qui longè differt ab Accu-*

fatore, vel Reo, sicque non recipitur compensatio *Med. q. 34. p. 1. n. 3.*

66. Congruè hic quæritur si contra falsum instrumentum contra me productum, itidem ego falsum solutionis instrumentum producam, an fiet compensatio delictorum? Quod vsque adeò negamus vt vtrumque criminaliter puniendum arbitremur, *Bald. in rubr. tit. C. de fid. instr. n. 53. l. ita vulneratus ff. ad L. Aquil. l. locatio 9. S. quod illicitè ff. de publ. nullum enim crimen abominabilius in Republica est, quàm falsificatorium Iul. Clar. l. 5. S. fin. q. 53.*

67. Denique speciei ad speciem, quantitatis ad speciem, & vice versa non fit compensatio vt pat. *ex Dd. supr. nec etiam facti ad factum est admit- tenda compensatio arg. l. inter artifices. ff. de sol. Z. s. in d. S. in bona fidei vers. super quarto, fallit si ageretur ad interesse l. quod elicitur. ff. de impens. in rem dot. fact. Med. q. 44. p. 1.*

68. Quanam portò ratione ineunda sit compensatio, an ipso iure contingat, controuersum est. veritas est quod hodie indiscriminatum omnibus iudicijs in fit; siue stricta sint, siue bonæ fidei *l. 4. l. 5. & fn. C. h. t. VVes. in n. n. 8. Tynd. art. 4. in princ. sui tr.*

69. Minimè verò hinc deducendum, quasi sine vlla oppositione compensationis, factone hominis ipso iure, & lege fiat contributio minusque debeat. *per text. l. 2. & l. quod in diem 6. S. s. irationem. ff. h. t. l. fin. vers. ita tamen compensationem obijci iubemus. C. h. t. Bart. in l. verum. ff. h. t. VVes. n. 8.*

70. Obiectio igitur tompensationis necessaria est, eaque conceditur omnibus, qui non expressè prohibiti reperiuntur contra quemlibet etiam fiscum, nisi in causa tributorum vt *supr. per l. aufertur. S. Fiscus. ff. de iure fisci. Med. p. 2. q. 2.*

71. Vnde bannitus, *med. p. 2. q. 2. excommunicatus Seb. Med. q. 3.* (communis tamen contrarium *teste Myns. ad pr. tr. de act.*) tutor *l. 11. situtores. C. de comp. procurator. Tynd. in suo tr. art. 7. n. 6.* dominus feudi contra feudatarium & contra exceptionem comp. obijcere possunt, vnde Emphyteuta non cadit iure suo si compensare potest & contra si dominus compensare potest. valet enim argumentum hic reciprocum *l. fin. C. de iure Emph. C. 1. de Vafallo qui cont. dom. Med. d. tr. q. 11. p. 2.*

72. Datur & cessionaria compensatio quia per cessionem iam definit debitum alienum dici & proprium dicitur esse cessionarij vel procuratoris in rem suam *Tynd. art. 7. n. 3. Med. q. 34. p. 1.*

73. Vtrum verò ius debiti cessum, transeat in cessionarium cum onere compenlandi ex persona cedentis, non viliis in hac materia est quæstio. Affirmatiuè placet. *arg. l. in venditione ff. de act. empt. & l. si aque ff. de contr. emp. Tynd. art. 7. n. 4.*

74. Licet & fideiussori compensare *l. 5. ff. h. t. l. 4. eod.* etiam si esset fideiussor excommunicati *Med. q. 4. p. 3.* inuito etiam debitore & reo principali quia talis exceptio realis est, l. exceptiones *l. omnes ff. de except. Tynd. art. 7. n. 30. Med. cit. loc. in fin.*



75. An verò non ei neganda sit compens. qui iuravit soluere & an compensando periurus fiat. Nego. tum quia soluit, tum etiam quod si impediatur iusta ratione id facere, quod promisi, non tum periurus. *l. fin. ff. qui faci. d. cog. sed quando ego non soluo, quando tamen ad tantundem mihi teneri impediatur à te. cap. significante extr. de pign. Tynd. art. 7. n. 11.*

76. Opponitur compensatio tam in iudicio quam extra. *Bart. & Bal. l. 4. ff. h. 2. tam coram arbitro, quam arbitratore Tynd. art. 8. n. 4. d. tr.*

77. Tanta compensationis vis est vt eius pecuniæ, quæ nulla habita ratione compensationis soluta est, tanquam indebitæ competat repetitio. *l. 10. § si quis. ff. h. r. idem dic. de pignore. l. 4. ff. qui pot. in pign. hab.*

#### DE RECONVENTIONIBVS.

78. Restat nunc vt extremis vt aiunt digitis Reconuentionem, cui non obscura cum compensatione obtingit cognatio attingamus. Est autem nihil aliud Reconuentionio, quam mutua petitio. *VVes. hic. n. vlt. ff. de compens. quæ fit à reo conuento, contra actorem. Molyn. tr. de recon. q. 1. vel est actio, quæ mox ab initio instituitur, & pertractatur contra actorem coram eodem iudice. Treut. l. b. 13. d. sp. de SC. Vell.*

79. Est autem ciuillis, non criminalis, *arg. l. 15. ff. de pub. iud. c. neganda. 3. q. 11. instituenda ante litis contestationem, vt iudex de vtraque simul cognoscat. Treut. loc. cit. vel statum post Mar. dist. 6. n. 5. & 6. aliàs enim vtraque causa vicissitudine iudiciorum simul pertractari non posset. Tominus decif. 16. n. 4. & seqq. finitur autem non vna, sed duplici sententia eodem ductu lata. Treut. d. th. lit. C.*

80. Locus est Reconuentioni coram iudice tam ordinario, quam delegato, *arg. l. 14. & auth. & consequenter. C. de sent. & inter Mysf. c. 4. obs. 90. Molig. tr. de Reconu. q. 24. non enim iniquum est vt actor iudicem quem pro se impetrauit, eundem contra se sustineat. d. l. 14. quæ ratio & in delegato obtinet, si tamen ad instantiam vnius partis tantum fuerit impetratus. Molig. d. tr. q. 24. & seq.*

81. Habet etiam locum Reconuentionio coram iudice scholari, vbi tamen distinguendum est, quod scilicet si quis conuenit scholarem coram Rectore, & scholaris patitur se ibi conueniri quod tum possit reconuenire actorem coram eo, si verò ibi se non patitur conueniri, sed declinat forum, petendo se remitti ad Episcopum, tum coram Episcopo non poterit actorem reconuenire, ex quo ille iudex non fuit electus per actorem, sed per ipsam scholarem conuentum vt ita cesset ratio. *d. l. C. de sent. Molig. q. 30. d. tr.*


82. Item coram iudice laico aliàs incompetente clericus rectè conuenitur. hæc sententia communior teste *Bart. in auth. & consequenter C. de sent. Fallit si clericus reconueniatur vel de causâ spirituali, vel de causâ criminali, vel denique laicus data opera malitiosè iniurietur clerico, ad hoc vt conuentus coram laico, ipsum ibidem reconuenire valeat. Mysf. c. 2. obs. 68.*

83. Coram Iudice prorogato reconuentio rectè etiam instituitur. *Nou. 96.c.2. Menoch. l. arb. iud. q. 44. n. 6. Zas. conf. 22. n. 14. Diff. Bart. d. autb. n. 3. Mar. diff. 6. n. 14.*

84. Nequaquam vero coram arbitro, vtcunque arbitria ad instar iudiciorum redacta sint, l. 1 ff. de rec. arb. cum extra compromissi limites ius cognoscendi non habeant. *Mysf. c. 4. obs. 90. tex. l. 46. de arbit. Treutl. th. vlt. Molig. q. 22. d. 17.*

85. Non admittitur in causa spolij, sed per modum exceptionis spoliatio ab altera parte opponi potest. *c. vlt. de ord. pronun. diff. Mar. d. d. st. n. 41. in casibus quando non vtrimque de eadem re agitur. Treutl. thes. vlt. hic. nec in causis executivis, vt si petatur executio instrumenti confessionati, vel guarentigionati Molig. d. t. q. 41. quia eiusmodi instr. habet vim sententiæ transeuntis in rem iudicatam, Molig. cit. loc. idem dicendum de causa depositi. arg. l. si quis C. depos. secus tamen est statuendum de causis summarijs. Treutl. th. vlt. Diff. vulgò Dd. quos conatur conciliare Molig. q. 44. d. 17.*


F I N I S.




X 2874408

94 A 7386

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light blue patch	Light cyan patch	Light green patch	Light yellow patch	Light red patch	Light magenta patch	White patch	Light gray patch	Dark gray patch
Dark blue patch	Dark cyan patch	Dark green patch	Dark yellow patch	Dark red patch	Dark magenta patch	White patch	Dark gray patch	Black patch

SIMA QVINTA,  
 VBLICI,  
  
 S CON-  
 LEIANO,  
 ONIBVS, ET  
 ONIBVS.  
  
 e *Gratia*.  
 BVS  
 nis *Viris*, ac DD.  
 NO, I. V. Doctore, &  
 , SS. LL. Licentiato,  
 re & Fisco.  
 bios *Facultatis Collegio*  
*in proponit*  
 ias *Menghe/ Westph.*  
 6. Augusti.  
  
 IPPINÆ,  
 prope Augustinianos.

